

De medicina prosthetica ... / praeside Augustino Henrico Faschio, med. doct. anat. chirurg. & botan. P.P. famigeratissimo, Archiatro Saxo-Jenensi celeberrimo, ... pro licentia ... disputabit Johannes Beinitz ... Ad diem [blank] Aug. Ann. 1677.

Contributors

Beinitz, Johann
Fasch, Augustin Heinrich, 1639-1690

Publication/Creation

[Jena] : Literis Mülleri, [1677]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/k78py5m8>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

AUSPICE ARCHIATRO SUMMO!
DE

MEDICINA PROSTHETICA

Indultu
ILLUSTRIS FACULTATIS MEDICAE
In Florentissima Salana
PRÆSIDE

D^{NO}. AUGUSTINO HENRICO
FASCHIO, Med. Doct. Anat. Chirurg.
& Botan. P. P. famigeratissimo, Archiatro Saxo-
Jenensi celeberrimo, Collegiique Medici h. t.
Decano Spectabili,
*Domino Præceptore, Patrono ac Promotore
venerando*

PRO LICENTIA
SUMMOS IN ARTE HONORES AC PRIVILEGIUM
DOCTORALIA CONSEQUENDI
disputabit

JOHANNES Weinig/Sporavia-Misn.
Ad diem Aug. Ann. 1677.

AUSPICE ARCHIA TRO SUMMA

MEMORIAL PROSTHESE

ILLUSTRIE FACULTATIS MEDICAE
IN UNIVERSITATE BEROLINENSIS
IN ANNO 1877

Dno AUGUSTINO HENRI
FASCHIO, Med. Doct. Anat. Chir.
& Botan. P. P. (anatomia, medicina, botanica)
Iacobi celebratio, Collegio Medico
Locum spectabile,
Doximo Praeceptor, Patrone ac Promotore

PRO LICENTIA
SUMMO IN ARTE HONORE AC PRIVILEGIO
DOCTORALIA CONSEQUI

JOHANNES SPINDELSPERGER-MIL
Aug. Ann. 1877.

PROOEMIUM.



Vemadmodum naturâ nihil unquam præstantius, nil utilius ac generi humano magis necessarium extitit præter Arborem vitæ, in medio Paradyfi plantatam: Sic sane, per concessionem Dei, arte, quæ naturam imitatur, eâque posterior est, nihil unquam extitit in mundo præstantius ac utilius, quàm medicinæ salutare.

Conditus etenim erat homo ex terrâ & spiritu secundum imaginem Dei. Hanc ut servaret, vita erat conservanda, & per vitam corpus. Ad vitæ conservationem data erat ista arbor. Postquam autem usus ejus interdictus esset ob peccatum, in vicem hujus concessæ sunt medicinæ salutare, scientiâ ac labore comparabiles. Et quamvis virtutes arboris vitæ non adæquent; haud tamen levi mortalibus sunt solatio, tum quod à morbis tueantur, tum quod morbis obsessos in sanitatem vindicent, ut hinc jure dicere queamus: Si quid est in mundo, quod generi humano utile ac necessarium existit, omnino erunt medicinæ salutare.

Nil itaque utilius ac magis necessarium cum sit ipsis medicinis, artium quoque nulla erit præstantior istâ, quæ in indagandis istiusmodi medicinis est occupata. Tanti autem hanc æstimabant Ethnici, ut ejus Magistros Diis adnumerare non sint veriti.

Præcipuè autem istam veneramus artem, quæ viam ostendit, quâ auxilia, naturam conservantia ac restaurantia, inveniuntur. Sola etenim hæc morborum curatrix, & hæc invitâ, irrita sunt omnia. Hæc itaque conservata ac restaurata, ut superior morbo existat, per motus regulares morbos adoritur, & quemlibet morbi insultum reprimere valet. Nec incerta ac anceps est hæc ars, nec cum periculo conjuncta, quanquam inventu difficillima. A natura namq; ostensionem similium addendorum petit, quâ perspectâ, errare non possumus in inventione similium. Periculo vacat, eò quod offerat similia pro naturæ conformatione, non verò contraria, quæ naturam stimulent, & ad noxii expulsionem ancipiti eventu irritent.

De hæc arte, cum publicè disputare ab Illustri Facultate Medicâ in hõc Athenæo mihi concessum sit, locò speciminis inauguralis differere constitui. Deus ter opt, Max. divinâ suâ adsit gratiâ, quò cedat feliciter!

Cap. I.

Definitionem nominalem & realem examinat.

DE Medicina prosthethica, vel, quæ fit per prosthesin, antequàm dicamus, è re erit, brevibus Onomatologiam præmittere. Dicitur autem Medicina à *mederi*, quod idem est, quàm ægris auxiliari. *Alii*, inter quos est *Helmontius*, à *medio* deducunt, eò, quòd ad medium statum omnia reducat medicus. Hinc & *Helmontius* Medicum mediatorem vocat inter vitæ principem & mortem.

Prosthethica origine græca vox est, ἀπὸ τῆς προστίθεσθαι *appondere*, & inde prostheticam quoque vocare licebit artem

tem istam, quæ per appositionem naturæ conservationem & morborum curationem tentat.

Prosthesis nomine quoque venit operatio Chirurgica, quâ aliquid in vicem partium ablatarum apponitur. Consimiliter figuram grammaticam hâc voce compelli constat.

Hippocr. libr. de flat. Prosthesin vocat Medicinam, quæ addit, quod deficit. *Nobis* Prosthesin, vel Medicinam prostheticam nominare licebit eam Medicinæ partem, quæ per additionem similium proximè naturæ conservationem ac restorationem intendit, & mediante hâc morborum curationem.

Medicinam autem Prostheticam, secundum hanc acceptionem, dari, fateri cogitur, qui concedit ista, quæ in conservationem corporum nostrorum nobis natura suppeditat, artificialiter ac chymicè præparare, ac quasi excorticare nos posse, ut citra eximium naturæ laborem, præcipuè si ista debilis sit, ac morbo pressa, & in solutione alimentorum, fordiumque ac inutilium partium separatione scopum assequi nequeat, trahi ac in substantiam naturæ converti possint.

Definimus Medicinam hanc, quòd sit ars sanitatem per additionem talium, quæ naturæ proximè conveniunt, conservandi, & morbos curandi.

Genus est ars, cum sit habitus effectivus.

Subiectum est intellectus, qui movetur ad conceptionem artis ex appetitione finis, qui est sanitas, summum corporis naturalis bonum. Unde fluit principium: *Sanitas est conservanda.*

Forma, secundum quam artem hanc constituimus, est scientia sanitatis.

Objectum formale, undè scientiam istam adquirimus, est constitutio naturalis, sive substantialis.

Objectum materiale, sive medium, est materia constitutionis, sub quâ comprehendimus omnia, quæ in substantiam corporis converti possunt.

Finis primarius est sanitatis conservatio; *secundarius* morbi curatio.

Differentia petitur à formâ, quæ est sanitatis scientia, & sic distinguitur ab istâ, quam *Hipp.* vocat ἀφαιγεσις, & pro formâ habet scientiam morbi, indèque proximè indicationem auxiliorum petit, *curatoria* aliàs dicta.

Deindè *differentia* desumitur ab objecto, ac scopo, ad quem proximè medendi ratio dirigitur. Quæ morbum immediate tollendum respicit, vocatur ἀφαιρετική, *ablatoria*, curatoria. Quæ ad sanitatis substantiam, additione similium conservandam dirigitur, vocamus *protheticam*.

A Diætetica sive præservatoria distinguitur, quòd hæc sanitatis conservationem quærat usu convenienti rerum sex non-naturalium; *Nostra* verò medicamentis, quæ arte præparata, ac naturæ proximè convenientia esse debent.

In se quoque differre videtur ratione objecti seu scopi; *Alia* humores respicit, & ad illorum constitutionem conservationis curam dirigit: undè *humoristica* dici posset; *Alia* ad spiritum reflectit, undè *spiritualis* dicta.

Quò autem clarius hæc pateant, & quænam artis sit constitutio de singulis ordine dicere instituimus, & *primò* quidem de scientiâ sanitatis, tanquàm formâ Medicinæ nostræ; ut & objecto formali ac subiecto, quod cum illo coincidit; *post* de materia constitutionis; & *ultimò*, quâ ratione secundùm ista ars constituatur,

CAP. II.

De sanitatis scientiâ.

SANITATIS scientiam quando inquirere aggredimur, à primâ ejus notione incipere oportet. Sanitas secundum communem conceptum erit potentia actiones exercendi. Sanos etenim nos profiteamur, quando actiones exercere valeamus; ægros, quando minus valeamus. Et sic communiter omnes homines sanitatem concipiunt, & omnes potentiam actiones exercendi sanitatem compellant.

Hoc autem sanitatis conceptu contenti non sunt Medici dogmatici, quanquam facile Empirici. Hi enim ut sanitatem & morbum, ita & auxilia, sanitatem conservantia, ac morbum depellentia, secundum primum & communem sensum metiuntur; & iis sufficit scire primas notiones tum sanitatis ac morbi, tum auxiliorum. Auxilia verò proximè, & ex suâ naturâ convenientia, ista potentia indicare non potest; Nec enim impotentia ista immediatè tolli, nec potentia pro conservatione simile aliquid addi potest, cum sit affectio, quæ ex se & suâ naturâ auxilium proximè non indicat, sed signum morbi ac sanitatis tantum existit. Unde conjicere licet: hæc vel ista pars actionem edere non potest, ergo morbus in illa hospitatur.

Dogmatici verò ab ipsa sanitatis substantiâ auxiliorum indicationem petunt; cum hæc integrâ necessariò quoque actionum adsit potentia. Quare sanitatem ulterius rationis subjiciunt examini, & à penitiori ejus cognitione acquisita, ad auxiliorum inventionem digrediuntur.

Quando itaque potentiam actiones exercendi, ut sensus concepit, speculationi objicimus, ista statim admirati-

one capta causarum indagatione se enodare conatur; Hinc rursus descendit ad sensus, eosque de corporis, ejusque partium natura ac constitutione consulit. Sensus facile declarant, corpus ex certis partibus esse constitutum; quæ si appositè sibi cohæreant, ac certa conformatione, numero, figurâ, temperie &c. sint præditæ, potentiam actiones exercendi obtinere, sat esse evidens. Undè concludit: hanc constitutionem, cum ab illa actiones proficisci sensus observent, proximam esse potentiæ istius causam.

Magis autem perspicax ac curiosa si sit rationis indoles, hîc non adquiescit, cum observet, quòd Medico sufficienter ostensiones auxiliorum præbere non possit extranea hæc scientia, sed partium naturam penitus examinans, in essentialem insuper inquirat constitutionem, cum hanc primariò requiri observet, quam accidentalis demum insequitur.

Utraque proinde expendenda Medico Dogmatico in reflexione ad actiones; An potentiam absolutè obtineant partes, quatenus conformatione, unitate, numero &c. gaudent; quatenus secundùm substantiam convenienter sunt constitutæ? Secundum substantiam si spectemus partes, comperimus, quousque vivant, in continuo esse fluxu, & proinde ut conservetur substantia istarum, quotidie per nutritionem regenerari ac renasci, quam potentiam vi formæ & materiæ substantiam constituentium obtinent. Per formam fit speciei ac specificarum qualitatum determinatio, actionumq; directio; per materiam verò consimilis materiæ actuatione ac alteratio. Substantia itaque partium bene se habente, & potentia hæc integrè se habet. Quemadmodum econtrà si substantia corruptionem incurrit in hac vel istâ parte, impotentia adest in istâ parte; si universalem, mors. Incorruptibilem etenim asserere constitutionem essentialem pro absurdo

furdo habemus. Actiones itaque nutritivæ proximè perficiuntur virtute ac potentia à totâ substantiâ procedente.

Constitutio autem accidentalis, sic dicta, quòd accidat partibus solidis, secundum essentiam constitutis, quando ulterius componuntur ad actionem organicam, ut numerus, conformatio, connexio &c. secundariò, non autem primariò concurret ad actionem, quin imò propriè usum tantum actioni confert, non actionem ipsam, quam solus in organis tanquam officinis exercet spiritus.

Et sic sanitas alia est *primaria*, ac interna essentialis dicta; alia *secundaria* & externa, accidentalis, quæ isti usum confert.

Consimilem sanè in modum *Galenum* sanitatem considerare, & utramque constitutionem pro sanitate supponere ex sequentibus cuiquam facile patet.

Lib. 1. de diff. morb. c. 2. ait, sanitatem spectari in moderatâ constitutione illorum, quæ nos constituunt. *Libr. 1. de usu part. c. 9.* inquit: Temperamenta propriam particularum substantiam complere. Consequi autem necessario odorem, saporem, colorem. Alia necessario accidere, positum nimirum, magnitudinem, connexionem, conformationem &c. Quando igitur quis disquireret: per quod pars actionem nacta fuerit? magna ex parte per proximam substantiam, comperiret. Aliquando autem etiam ob aliquid ex consequentibus, quemadmodum in oculis propter colorem, & deinde propter eorum aliquid, quæ temperamenta consequuntur, ut os propter duritiem: Et tandem propter illa, quæ partibus accidunt, ut positus, conformatio, magnitudo, numerus. &c.

Libr. de differ. sympt. c. 1. differit: quod in corporis

conversione & mutatione consistat, diversum esse ab illo, quod factum est, & subsistit; ejus autem quod factum est, aliud actionem naturalem efficere, aliud lædere, & hoc morbum, sanitatemque vocari.

Præterea quibusdā in locis morbos intemperiei cum materia, ut phlegmonem, vocat substantias, eosque opponit sanitatis substantiæ. *vid. Gal. Meth. med. l. 2. c. 3. & c. 6.*

Et exindè sat clarè constat, *Galenum* non tantum accidentalem, sed & substantialem constitutionem pro sanitate supponere, & à nostrâ speculatione perparum discrepare.

Hippocrates sanè perspicuè docet, sanitatem consistere in substantiali corporis constitutione, non accidentali tantum, quando *l. de nat. hom.* ait: Homo est sanguis, bilis utraque, pituita &c. & per hæc dolet ac sanus est.

Paracelsus multis in locis innuit, sanitatem esse convenientem $\ominus \Delta$ ac ♀ quæ pro materia agnoscit, secundum naturam sive formæ modum, temperaturam, & abinde inventionem auxiliorum quoque desumere jubet.

Non absimilem in modum *Helmontius* constitutionem substantialem pro sanitate supponere, & ab ista fundamentum inventionis artis nostræ petere constat.

A Substantiali itaque cum nobis proximè & primariò indicationes conservatoriæ sint petendæ, & secundum illam ars prosthetica constituenda, accidentalem hac vice præterimus, istam verò accuratiùs inquirere pergimus.

Sensuum autem evidentia constat, partes secundum essentiam constitutas inter se differre, aliasque esse humidas, alias siccas ac magis constantes, subtiles verò alias ac aëreas. *Liquidas* Hippocrates vocat humores; *aëreas*, spiritus, impetum facientes; siccas verò ac magis constantes,
solli-

solidas. Et proinde triplex erit constitutio substantialis, alia partium solidarum, alia humidarum, & alia spirituum. Et has partes ubique ad actionem concurrere in toto corpore, sensibus observare licet, cum totum corpus compleatur spiritu, humore & partibus solidis.

Quaquam autem omnes consentiant ac conspirent in unam actionem, non una tamē eademq; virtute ac facultate, sed aliae proximē actionem præstant, aliae remotē ad actionem concurrunt; aliae ut organa se habent, & usum actioni conferunt.

Quo itaque singularum facultates discernere queamus, & quo ordine ac quā virtute concurrant, penitus easdem scrutari aggredimur, tum quā generationis initia, modum ac ordinem; tum quā earum differentias ac affectiones.

Generationis ac constitutionis initia quod concernit, constat esse humidum spirituosum *principium formale continens*, quod semen appellant, & sanguinem, qui loco materiae accedit.

Quodnam autem sit istud *initium formale* & quænam ejus essentia ac origo, difficile est decernere.

An propriē sit substantia, dubio non caret, cum substantiæ sit principium incorporeum, nec ante generationem existat per se localiter. Nec tamen accidentis censum ingredi constat, cum sit substantiæ pars constituens essentialis, non autem substantiam insequatur. Accidentia enim sunt, quæ substantiæ secundum materiam & formam constitutæ accidunt. Relinquitur ergo esse ens incompletum, si nimirum in se secundum essentiam consideretur. Et proinde cum non sit substantia, sensuum inferiorum objectum esse non potest, utpote qui metiuntur objecta

secundum externa, & ea, quæ enti accidunt. Solius autem mentis erit objectum, & propterea mentis conceptibus adnumeratur, ac rectè ens mentale vocatur.

Ortum si spectes immediatè per Creationem ex Mente Divinâ est profectum, ac per verbum ac jussum Dei à naturâ elementari conceptum.

A posteriori, & quatenus materiam afficit, si consideremus, sensu assequi licet, materiæ actum definire ac determinare; undè conjicitur, se habere ut exemplar, ut modus, quem actus materiæ exequitur; Undèque *principium determinans* vocatur, per quod quodvis est id, quod est, secundum speciẽ nimirum, & tali vel tali modò operatur. Plato formas *Ideas* vocat, forsan, quod qualibet peculiaribus proprietatibus, specie differentibus, sit dotata.

Quemadmodum autem per Creationem ab Imagine Divinâ profectæ sunt formæ, & per verbum ac jussum Dei à naturâ elementari receptæ: ita & postmodum cum materiæ Elementari vi actus ejus propagantur per generationem, & communicantur instar luminis, quod in aëre sereno, tanquàm speculò Macrocosmi se diffundit in infinitum, nisi à corporibus opacis impediatur. Quin & quotidie cum naturâ elementari istius fit propagatio in nutritione, quæ similis est generationi. Continuo etenim diffluunt ac emoriuntur corpora nostra, ac continuo regenerantur. Si itaque continuo succedit nova materia, ex quâ conservamur, & quasi regeneramur, sequitur istam succrescentem materiam eodem modò affici à formâ, sine ulla tamen ejus divisione vel imminutione, dummodo materia sit satis disposita, illam recipere. Et sic sanè necessario sequitur, aut actum Creationis indefinenter con-

continuari, quoties cibo ac potu quis utatur vel abutatur; aut cessare prorsus, ac fieri propagationem cum natura elementari, sine ulla tamen formæ divisione, vel consumptione.

Materia, semen constituens, humida ac aërea est, nec tamen particulis terreis destituitur.

Aërea, spirituosæ, vel *ſpirituales* Medicis dictæ ob tenuitatem obtinent vim attenuandi, resolvendi, ac movendi. Hinc partes aqueas ac terreas motu exagitant, & secum surripiunt, nec unquam sine his istarum existit motus. Et si dicere fas est, quid sentiamus, sunt *proximum suppositum vitæ*, quæ nil aliud est, quàm actus earundem; qui aliàs animæ vegetativæ nomine venit. Vitam enim in se consideratam materiæ actum esse, & eandem in cunctis animalibus, facilè evincitur, quando observamus, cuncta animantia ex eâdem materiâ elementari vitam sustentare, & sic ex eodém oleô flammam vitalem conservare; si autem hoc, ejusdem naturæ ac conditionis esse, facilè conceditur. Differentias postmodum específicas adsciscit à forma specifica, quam motus determinat, & actui, qui materiæ inest, facem in agendo præfert. Præterea sunt perspicuæ & colores ac figuras rerum instar speculi recipere valent.

Aqueæ his sunt crassiores, & mediæ naturæ inter aereas ac terreas. Has utrasque temperant, illarum nimirum tenuitatem, harum verò crassitiem ac siccitatem.

Terreæ pollent virtute siccandi ac coagulandi, & aeris qualitatem obtinent contrariam. Istæ enim movent, attenuant ac protrudunt; hæ trahunt, coagulant ac siccant.

Quibusnam autem particulis primò & radicaliter quasi insita sit forma, altioris esse videtur indaginis. Quod si tamen probabilitas quædam locum h'c habet, istis forsitan primum erit insita, & cum iis fiet propagatio, quæ magis sunt constantes. Et sic terreæ omninò h'ac dotatæ erunt dignitate.

Porro hoc probabile reddunt sequentia. Observamus nimirum, spirituosæ & humida quæ sunt, facile alterari, ac transformari, si in corpus sumantur; ægrè verò, quæ sunt terreæ, ac coagulata. Quæ spirituosæ sunt, ac per destillationem à particulis terreis exempta non purgant, quanquam ex fortissimis sint purgantibus. Inde forsitan colligi licet, imagines formales terræ esse inditas, ratione quarum resistunt, & naturam primam servare nituntur; undè motus contrarii, quos, si natura sit satis valida, sequitur violenta contrariorum ejectio.

In Chymicis experimur, terras mineralium sine igne separatas, & omnis saporis expertes adhuc qualitates formales continere. Quod si enim aspergantur humido quodam spirituofo, quanquam specie alieno, in momento tamen saporès específicos isti impertiunt. Nec proindè sic dicta resuscitatio plantarum videtur impossibilis. Quod si enim cineres humido competenti aereo irrorentur, spirituosus iste humor particulas terreas in se recipere, & à calore postmodum expansus figuras plantæ tanquam speculum præsentare potest.

Observare insuper licet, deficiente vel pereunte in aliqua parte spiritu influo ob vasa obstructa, vel alias causas, actionem prorsus cessare, quæ redit, redeunte spiritu. Exin sequitur, actionum qualitates in partibus solidis esse quasi connotatas, Undenam aliàs spiritus actio-

num

num notitiam acquireret? Partes autem solidæ ex terreis particulis ut plurimum sunt constructæ.

Tandem ex sacris constat, Deum ex terra formasse hominem, & formato deinceps vitalem inspirasse auram. Undè concludere quis posset, terram primò recepisse per jussu Dei istam imaginem formalem, & proindè cum ista quoque in generatione propagari.

In particulis autem aereis, tanquam vitam largientibus, imago formalis resplendet, tanquam in speculo & pro hujus ratione, varii spirituosarum motus, colores, figurae & actionum potentiae existunt.

Ex particulis itaque his spirituosis, terreis ac humidis justè contemperatis, & principium formale includentibus, nascuntur partes, quando aereæ seu æriales ac vitales, terreæ atque aqueæ foru caloris se exagitant, aliæ protrudendo, aliæ trahendo. Sub hoc etenim motu reciproco, quo se invicem afficiunt, observant imaginem formalem terreis insitam, & in aereis ac aqueis resplendentem, & secundum hanc spirituum fit expansio, & terrearum coagulatio. Et sic per spiritum inchoatur vita, & totum generationis opus perficitur *efficienter*, quatenus digerit, aduat ac diducit particulas aqueas ac terreas pro constructione partium solidarum; *Directivè* autem ac formaliter per imaginem terreis insitam. Terreæ verò, ut elementaris sunt naturæ, coagulationem ac consolidationem præstant.

Quemadmodum itaque generatio corporis efficienter fit per spiritum, ita & ejusdem auctorem ac conservationem, quam generationem continuatam dicere posses, per spiritum efficienter fieri, sensus declarant.

Spiritus nimirum in partibus ubique cum alimentis,
quæ

quæ ad partes mittuntur, se commiscet, eaque per motum specificum subigendo ac exagitando attenuat, quousque in spiritualem convertat naturam, ac secedentibus partibus grossis ac tartareis, quæ vasa ac meatus subtiles permeare non possunt, ita rarefaciat, ut per vias exiles secum ducere possit. Et sic tenuitate sibi ipsi laxat ac aperit vias. Ad partes autem si fertur, particulæ, quas secum portat, subsidunt, & virtute solidarum coagulantur, ac crescunt, pro nutritione ac auctione partium.

Subtilior autem pars ulterius tendit, usque dum sepositis particulis terreis extremè rarefiat & per poros exhalet. Ubique autem in partibus splendorem formalem recipit, in quas fertur, & motus secundum speciem partibus singulis competentes exercet.

Quando itaque resolutio ac digestio humorum virtute spiritus debite perficitur, ut cum isto ferantur ad corpus per meatus exiles, nutritio per appositionem & coagulationem nutrimenti virtute partium solidarum ritè quoque perficitur, & singulæ partes suis sufficiunt actionibus. In partibus organis, tenuior ac serenior existit, & ubique munia obit, ac perficit, & sic spiritu naturaliter se habente, singulæ partes benè se habent, & sanæ sunt.

Quando verò spiritus intemperatus redditur, ob commissionem liquorum alimentitiorum, acidâ, stypticâ vel ponticâ a qualitate imbutorum, vel lixiviosorum ac alkaliorum, fixorum vel volatiliū & pro diversâ istorum indole degenerat, ut motus abindè retardetur, & per exiles meatus permeare non possit, in partibus, per quas fertur, turgēt & cruditatem constituit; Vel quando tenuis nimis est, ac subtilis, ut partes nutritiles secum surripere non vale-

valeat, unde nimis citò exhalat ac diffluit, partesque, per quas fertur, insimul rarefacit, incendit, tonumque earum violat; *Vel* quando motu nimis celeri digestionem debitè non moderatur, ut sordes ac particulæ grossiores, in quibus hærent fermenta peregrina, non ritè separentur & ad emunctoria destinata ablegentur, sed in partibus subsideant, ac irradiationem spiritus insiti impediant, varii oriuntur morbi. Quæ enim in partibus hinc inde coagulantur, secundùm naturam exoticam, impediunt motus naturales ac regulares, vel occasionaliter spiritum vitalem afficiunt, ut concipiat eorum indolem ac naturam, præcipuè si partes naturales sordibus sint obductæ, unde spiritus sui juris redditi ob irradiationem impeditam facile degenerant, & alienâ superbiunt facie, unde morbi, qui secundùm essentiam considerati, sunt entia substantialia, quanquam ratione generationis monstrosa. Ex spiritu etenim vitali privatò, imagine formali insitâ tanquam materiâ & formâ exoticâ præter ordinem ac legem naturæ generantur, secundùm illud: *unius corruptio est alterius generatio*. Qui morbi postmodum motus naturalibus motibus contrarios exercent.

Quando itaque partes corporis in respectu ad actiones consideramus, comperimus spiritum, si materialiter inculpatus existat, & lumine formali competenter sit affectus, immediatè actiones efficere, proximè earum continere potentiam. Omnis namque actio fit per motum, motus autem per spiritum; qui in agendo determinatur à formâ.

Et hinc Helmontius Spiritum vocat *Archaum*, qui solus omnia efficiat, & dirigat. Alii vocant *Naturam* κατ' ἐξοχήν respectu partium solidarum, & humorum. A-

iii calidum innatum, quod elementaris & sideræ insimul sit naturæ. Et sic ab hoc spiritu, quatenus resultat ex combinatione formæ & materiæ, quarum ortus sunt, simul primus est corporis actus ac *ἐντελέχεια*. Diverfus est hic spiritus pro ratione partium, quæ diversis actionibus ut animalibus, vitalibus, ac naturalibus sunt destinatae.

Partes solidæ sunt officinæ, in quibus spiritus munia obit. Firmamentum aliàs vocantur corporis, in quò radiant spiritus insiti instar siderum. Requiritur in his certa conformatio, numerus, magnitudo &c. quorum constitutio earum vocatur sanitas nimirum externa, & accidentalis, partibus secundum substantiam constitutis accidens. Læsa tamen hæc constitutio sæpè occasionalis fit causa morborum, in spiritu orientium.

Humores nutrimentum præbent spiritui & quatenus terreis perfusi atomis materiam, ex qua generantur solidæ. In his quoque resplendere, quanquam obscurius, imaginem formæ, probabile. In substantiam partium immediate converti non possunt, nisi in spiritualem eleventur naturam. Temperati si sunt, & ab omni coagulatione liberati, secundum legem naturæ, conferunt sanitati & facile digeruntur à spiritu; si intemperati, difficilis sunt digestionis, & ægrè suscipi ac evehi à spiritu possunt; unde spiritum impediunt in agendo, vel archæum irritando occasionales morborum existunt causæ.

Materiam humoribus præbent alimenta, quæ in ventriculò, beneficio humoris fermentitii resolvuntur, ac liquantur. Hinc humorem istum fermentitium ad sanitatis conservationem insigniter conferre creditur.

Quæſiti proinde: *quenam constitutio essentialis pro ſanitate internâ primariò ſit ſupponenda?* omninò reſpondemus, ſpiritualement ſeu Archæalem, utpotè à quâ, tanquam *principio quod*, immediatè actio efficitur. Nec enim ab humoribus actio proximè procedit; ſed remotè concurrunt, quatenus ſpiritui in materiam cedunt. Nec à partibus ſolidis actionem effici, conſtat; Quanquam enim imago formalis iis ſit impreſſa, cujus ſplendorem recipit ſpiritus, iſtam regionem influens, iſtæ tamen non agunt motu activo, ſed moventur per ſpiritum, per quem fuerunt conſtructæ.

In Humoribus autem, cùm in materiam ſpiritui abeant, ſecundariò & remotè ſanitatem quærere licebit. Et hinc potius in reſpectu ſpiritus pro cauſa materiali archæi agnoſcuntur, ex quibus tamen convenienter ſe habentibus, ſpiritus laudabiles, quoque adſcendere ac ſublimari poſſunt.

His itaque dictis *de ſcientia ſanitatís* in quantum ad artis noſtræ conſtitutionem requiritur, digredimur ad conſervationis materiam.

Cap. III.

De materia conſervationis diſſerit.

MAteriam, ex quâ corpus noſtrum conſervatur, ſuppeditat Macrocoſmus, in cujus ventre, tanquam magno Laboratorio quadripartito materia præparatur per ſpiritum Mundi, qui director ac laborator in hõc laboratorio

est constitutus. Corpora etenim nostra, utpotè perfectè composita, non poterant conservari, ex corporibus simplicissimis ab omni mixturâ ac compositione alienis. Cum non facilis sit transitus à corporibus simplicibus ad perfectè & summè composita. Nec tam citò Elementa justâ proportionè concurrere ac in visceribus cogi ac confluari possent, quàm citò corpora nostra refectionem desiderant. Sed aliqua mixturæ lex iis erat imprimenda, quæ corpori pro conservatione surroganda.

Hinc sapientissimus Creator talem in Naturâ constituit ordinem, ut Elementorum aliqua præmittatur concoctio, sive syncrîsis, unde tot ac variæ Elementorum mixturæ ac essentiæ reconduntur in vegetabilibus ac mineralibus, ut nulla ferè sit in corpore particula, quæ sibi ratione temperiei similem mixturam in macrocosmo non reperiât.

Inde motus Paracelsus & alii, non erubuere, hominem compellare Microcosmum. Et cum nascamur & generemur ex Macrocosmo, nimirum materialiter, hunc Parentem, Microcosmum verò istius filium.

Et sic unum genere corpus videntur Macrocosmus & Microcosmus, quod tamen sub formis, tanquàm miraculis occultatur & diversum apparet.

Quin, nec asserere veretur Paracelsus, non tantum ratione temperiei convenire singula, sed & ratione imaginis formalis, vid. Labyr. Medic.

Quot autem sint Elementa simplicia, quæ materiam suggerunt Macrocosmo, æque non constat apud Philosophos. Alii quaternarium constituunt numerum, alii trinarium, alii binarium, alii infinitum. Alii omnia Elementa ad cujusvis loci fructus concurrere asserunt; Alii negant,

negant, & quodlibet Elementum ad suæ regionis fructus sufficere contendunt, nec possibile censent, Elementa superioris sphaeræ ab inferiori appetitu naturali elata retrahi, & ad generationem fructuum terræ reverti.

Alii unum statuunt Elementum, nimirum aquam, quæ per varias transmutationes, e.g. sublimationes, adscensionem, destillationes, ac circulationes præparetur, quousque in cujusvis regionis fructus pro seminum ratione concreverit.

Sed hæc in præsentem nos non torqueant, cum conservatio corporum nostrorum non sit proximè ex Elementis, sed ex liquoribus Elementatorum spirituosissimis, quare horum potius nobis habenda est ratio.

Solent autem Elementata, ex quibus conservacionem quærimus, dividi in tres classes, nimirum in classem mineralium, vegetabilium & animalium.

Mineralia an materiam pro corporis conservacione nobis suppeditare possint, quidam dubitant, & nullam proportionem habere credunt cum corporibus nostris; cum hæc sint vitalia & proinde talibus conservanda, quæ sint digestibilia, nec motibus vitalibus obsint; ista autem corpora compacta forent, ac fortissimæ coagulationis, vitamque mutam viverent, & proinde archæo vitali, digestionem ac solutionem imperanti, ægrè auscultarent.

Experientiâ tamen & ratione constat, omnino digeri & in naturam nostram converti posse. Sale sanè, quod mineralis est naturæ, carere non possumus, sed quotidianus nobis ejus usus. Digestio illorum est difficilis, ob particulas terreas, fortem largientes coagulationem; verum chymice possunt præparari & digestio istorum facilitari additione

convenientium menstruorum, ac aliqua præmissa digestionem. Nullibi etenim natura nucleum præbet, sine cortice. Et si sic præparata & aliquatenus digesta offerantur, nulli dubitamus, quin egregiè exin refici possint nostra corpora. Durabiles namque continent liquores, qui in spiritualem conversi naturam omnem coagulationem, fertilem morborum matrem, solvere valent. Et si in substantiam partium convertantur, eam efficiunt durabilissimam, partibusque firmamentale conciliant robur. Hinc metalla ad vitam longam conducere, multi credidère, si nimirum sic præparentur, ut natura ea possit digerere ac in partes diducere. Undè in ore multorum sunt aurum potabile, argentum potabile &c.

Vegetabilia faciliùs digeruntur, & promptius naturæ nostræ obtemperant, cum propiùs ad vitalitatem accedant. Nec tam potenter naturam afficiunt, ut mineralia. Essentias autem durabiles ac perennantes, æque ut mineralia, non præbent.

Animalia facillimæ sunt digestionis, cum nobis sint simillima, hinc facilis in naturam nostram est transitus. Facilis autem sunt digestionis ob particulas in minutissimas atomos per fermentationem vitalem, quæ in iis viget, refractas. Undè & sæpè nimis celerem efficiunt fermentationem; Et si brevi tempore asserventur carnes illorum, facile corrumpuntur; hinc sale condiri solent, quod beneficio partium grossarum celerem ac in putredinem degenerantem fermentationem temperat, ac moderatur.

Cæterum in genere considerari solent, quæ materiam nobis suppeditant, ratione qualitatum materialium, & deinceps specificarum seu formalium.

Galenus præcipuè consideravit ratione qualitatum primarum, quarum indagatio tamen Medico parumper inservire nonnulli existimant. Hinc alii potiùs secundum tenuitatem, raritatem, colorem, saporem, odorem, ac específicas qualitates examinant.

Chymici ratione Δ . Θ & Ψ . item ratione fixitatis, volatilitatis expendunt, & secundum hæc istorum constituunt differentias.

Secundum hos itaque si examinemus, comperimus, mineralia de sale, fortissimam largiente coagulationem, plurimum participare; acidissimos enim, igne siurgeantur, sudant liquores, nec salis alkali micam in plurimis reperire licet; Grossas continent terras, ratione quarum in corpus crudè assumpta difficulter partium poros permeare possunt, unde irritant naturam, & symptomata periculosissima causantur.

Vegetabilia plus participare de Δ , quàm sale ac Ψ , ex mollitie & visciditate eorum licet conjicere. Per Chymiam quoque constat, in resolutione multum olei & spiritus combustibilis reddere. Sale volatili Ψ riali non prorsus destituuntur, plus tamen alkalini fixi continent, quod tamen artificialiter per fermentationem putrefactivam prorsus abit in sal volatile, quæ earum summa est præparatio.

Animalia verò Ψ rialis naturæ esse constat, cum plurimum salis volatilis contineant. Summa etenim in iis viget fermentatio, utpote per quam vita continuatur. Et proinde, quanquam quotidie talibus utamur, quæ alkali fixum continent, omne tamen in volatile converti exin patet, quod ne mica ejus ex partibus animalium quorundam, si chymicè exploremus, extrahi possit.

Singula autem specificè seu secundùm imaginem formalem partibus convenire, & ratione istius ad hanc vel istam partem, cum quâ conveniunt, trahi, asserit Paracelsus libro, cujus inscriptio: *labyrinthus medicorum*.

Et tantum de materiâ dixisse sufficiat, quæ naturæ in conservationem cedit. Digredimur itaque ad ipsam constitutionem Medicinæ.

CAP. IV.

Constitutionem medicinæ tradens.

Præmissis præmittendis, scientiâ nimirum sanitatis, quam ut formam medicinæ prostheticæ supponimus, & materiæ consideratione, quæ secundùm istam scientiam restringenda, ad artis prostheticæ nunc digredimur constitutionem.

Intellectus itaque principio isti, quod ex appetitione finis sancit: sanitas est conservanda; innititur, & ulterius de mediis sollicitus arguit, similia similibus conservari debere; unde porro infert: E. sanitas conservetur similibus.

Si itaque sanitas est in spiritu, spiritus conservetur.

Ab Archæo autem formaliter tantum consideratô, si-
ve spiritu insitæ ostensiones, quæ conservationem ejus per imagines, verba, figuras ac characteres ostendunt, hîc non petendæ, cum ad medicinam prostheticam propriè non spectent; sed à spiritu influô materialiter vel essentialiter considerata.

Si spiritus est substantia subtilis, ex liquoribus vitalibus, quorum materia sunt liquores alimentorum, in volatilem naturam conversa, ut in partes pro vitæ ac sanitatis conservatione influere possit, talibus conservetur, ac restituatur, (si natura nimirum in præparando ac digerendo ex debilitate vel vitio objecti, hoc præstare non possit.)

possit,') quæ naturæ ejus proximè conveniunt.

Quod si autem verum est, quod quælibet partes in corpore suum simile, sive quod specificè conveniat, in Macrocosmo habeant, & vel universaliter cum universis partibus, vel particulariter cū hâc, vel istâ parte conveniant, tot quoque erunt, indicationes, quot differentiæ spirituum.

De spiritualibus his medicinis Paracelsus tractatu citatō ita disserit:

Eine Arzney / die da eingenommen wird spiritualisch in ihrer essenz / so bald sie in Leib kompt / stehet sie in ihrer Form / wie ein Bild in Spiegel. Hat sie ein Form der Füße / so stehet sie in die Füße / also auch mit andern Gliedern / Herz / Leber / Nilk etc. it. Es wäre eine Wurzel / die in sich hatte Siderisch alle corpora der Menschen wird sie nun eingenommen / uemlich spiritualisch / so stehet sie in Menschen mit einen ieglichen Glied. Ibid. Euphrasia hat in ihr die Form und Bild der Augen / so sie nun eingenommen wird / so stellet sie sich in ihr Glied.

Quæ autem singulis partibus specificè conveniant, nostrum non est, hic afferre, cū apud Autores hinc inde extent.

Preparatio petenda à natura.

Quemadmodum hæc ingesta digerit, solvit ac circulat, quousque partibus grossis separatis, servatâ tamen crassi, in quantum fieri potest, in spiritualement convertat naturam, quò ad partes abire possint, pro vitæ ac sanitatis conservatione.

Eundem in modum Medicus, si natura ex debilitate hoc perficere non valeat, materiam conservationis digerat, ac solvat, quousque partibus grossis seccidentibus putrescat,

scat, & in spiritualem convertatur naturam, quæ esse possit ut loquitur Paracellus in potestate facultatum.

Et hunc in modum fiunt spiritus plantarum & Onosi, & Ælia, volatilia quæ proxime spiritui influo convenire creduntur, ut lil. convall. rutæ &c. de quibus vid. *Nobiliss. D. Doct. Wedelius, Prof. in hac Salanâ celeberr. de sale volat. plantar.* Tales spiritus ex salibus alkalibus fixis, & ☉, per digestionem quoque sunt parabiles.

Ex sanguine, & carnibus animalium parili modo per putrefactionem ac digestionem fieri solent.

Magni æstimatur spiritus Onosus ex *co, qui ☉ dissolvit & secum per alembicum transportat, quali spiritu *Sylvius* inclaruit.

Noster processus hic est, & *aci ℥ij. calc. viv. ℥iis vel salis ℥ ℥ij spiritus vini ℔j. & ad med. In hoc spiritu olea collata fundum petunt, & si per aliquot tempus cum hoc spiritu digerantur, & postmodum destillantur, adscendunt instar lactis servatō odore specificō.

Spiritus Onosi præstant vinosis, cum hi nimis sint Acri, adeoque intemperati. Pro diversitate tamen spiritus degenerantis vel deficientis diversus eorum usus.

Quidam ut spiritus vinosos temperent, cum spiritu Æ, aliquoties destillant & spir. Æ dulcem vocant. Alii cum spir. Oli, qualis est spir. D. Mich. cephalicus.

Secundum alios ostensiones prostheticæ petuntur ab humoribus, cum ex his spiritus nutriantur.

Nec desunt, qui per experientiam probare contendunt, spirituosum fermentum Ventriculi exsiccare ac aliquatenus lædere, & proindè potiùs ab humoribus, quàm spiritu, judicationes conservatorias desumere volunt, cum his naturaliter & convenienter se habentibus, & spiritus quoq; benè se habere possit. Tali-

Talibus itaque conserventur, quæ iustum ratione essentiae, tum proportionis, ac qualitatis conveniant.

Quemadmodum proinde natura in ventriculo ingesta, additō menstruo solvente, digerit, solvit ac liquat, quousque omnis destruaturs coagulatio; Compari modō Medicus materiam, quæ in augmentum humorum surroganda, liquet, solvat ac digerat, quō natura invalida citra eximium laborem, ulterius eam transmutare, & ex eā se reficere possit.

Et hinc est, quod quidam tam anxie quærant, solutionem auri, argenti, ut & lapidum pretiosorum.

Quemadmodum itaque solutio in ventriculo non nisi fermento addito perficitur; sic & medicus naturæ minister addito convenienti menstruo, corporum liquationem tentet.

Acidum proinde si est ventriculi fermentum, & medicus tali utatur, si salsum salso. A naturā etenim hujus indagatio petenda; hinc insipidis, quæ quidam jactitant, parū tribuimus, cū in naturā microcosmicā nullibi occurrant.

Cum primis autem corpora metallica ac mineralia, ut & lapides pretiosos solvere chimici præcipiunt, cū hæc nobilissimos contineant succos, ac maximè durabiles.

Aurum quidam solvere tentant cum spiritu vini, sed non videtur esse menstruum competens. Magis autem approbamus menstrua salia, utpote quæ natura ostendit.

Cum liquoribus salinis multa corpora metallica & mineralia solvi possunt, ut & cum spiritibus acidis mineralium, hoc tamen observatō, ut post factam solutionem aciditas aliquō modō corrigatur & temperetur.

Hunc

Hunc in modum si argentum præparetur, convertitur in liquorem cæruleum.

Alii terras metallorum, mineralium, ut & plantarum chimicè sine igne separare sciunt, easque cum liquoribus spirituosissimis mineralium regenerare, & sic nobilissimos pro humorum conservatione ac confortatione conficiunt liquores.

Universalem qui quærunť *medicinam*, ostensionem ejus petunt à ventriculi humore fermentitio, cùm, hoc benè se habente, solutio ingestorũ quoq; perfectè fiat. Hâc autem benè peractâ, & in reliquis officinis ulterior humorum digestio ac rarefactio fieri possit.

Sallus itaque si est, salis conservetur & restituatur, si acidus, acidis. Materia hujus, sunt liquores salium, inter quæ præstantissimum forsan est, quo quotidie utimur, & nemo carere potest. Salia itaque erunt aliquo modo præparanda; Partes nimirum grossæ ac terreae separandæ, & salia in balsamicam naturam convertenda.

Spiritus salium acidi, ut cuius naturæ convenient cum terris subtiliorib9 chymicè separatis, quæ digestionem non resistant, regenerari & in salinam reduci possunt naturam.

Ex sale communi, ut & nitro, extrahere scimus quanquã in exigua quantitate sal cæruleum penetrantissimum & licet saporis, quod sanè per aliquot dies exhibitum coagulationem exoticam cruditatum ac morborum matrem potenter tollit.

Et hæc hac vice de Medicina Prosthetica dixisse in quantum temporis ratio, & dicendi occasio concessit, sufficiant.

DEO OPTIMO MAXIMO SIT LAUS
honor & GLORIA,